



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 10. Vtrum hæc sit vera, Christus, vt homo, est creatura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Si tamen hæc propositio non ita proprie accipitur, vt sensus sit: *Factum est, vt homo sit Deus*, potest admitti. Et hoc sensu, sæpè sic loquuntur Patres; vt Damascenus lib. 3. c. 11. & Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. & Nazian. epi. 1. ad Cledonium.

Possent etiã dici, *Hominem* interdum accipi formaliter, non pro supposito, sed pro indiuiduo humano præcendente ab omni actuali subsistentiã; & ita accipi à Patribus: magis tamen proprie accipi materialiter; scilicet pro subsistente in natura humana.

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum hac sit vera: Christus est Creatura?*

16 **R**espondet D. Thomas, Non esse ita loquendum absque aliquã determinatione; ne occasio detur errorum.

SS. Patres vocant Christum creaturam.

Notandum tamẽ est, multos Patres vti hac locutione. D. Leo serm. 3. in Pentecost. Sophronius in epistola quæ habetur in VI. Synodo act. 11. Hieron. in c. 2. ad Ephes. explicã illud: *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis*: vbi ait, hanc locutionem minime esse reformidandam, *Christus est Creatura*, id quæ probat duobus Scripture locis. Omitto alios Patres. Vnde Caietanus putat hanc propositionem *Christus est Creatura*, in rigore & proprietate esse veram: sicut & hanc, *Christus est passus & mortuus*.

Non potest tamen dici Creatura strictè.

Sed vtendum est distinctione, Si nomen Creaturæ accipitur omnino strictè, vt solet à Scholasticis; sic absolutè est falsa. Vnde negatur à Magistro in 3. dist. 11. & ibid. à D. Thoma, Durando, Richardo, Paludano, Capreolo. Et ratio est, Quia *Creatura* communiter dicitur quod ex nihilo productum est: atqui Christus non est productus ex nihilo; cum eius persona non sit ex nihilo: ergo non est proprie creatura; productio enim Christi, non est productio ex nihilo; sed cõpositio ex persona increata & natura creata. Et confirmatur ex contrario; Quia Christus non potest annihilari: ergo nec creari.

3<sup>da</sup> in id.

Si verò nomen creaturæ accipiat paulò generalius, vt sæpè solet in Scripturis & Patribus; nempe pro omni eo, quod incipit esse, siue absolutè, siue secundum aliquam naturam creatam: sic Christus absolutè potest dici creatura. Nam sicut ab humanitate, dicitur homo; sic à natura creata, dicitur creatura. Et ita intelligendi sunt Patres. Neque solùm Christus, qui includit naturã humanã, sed etiã Filius Dei dici potest factus creatura.

ARTICVLVS IX.

*Vtrum hac sit vera: Iste homo incepit esse?*

17 **R**espondet D. Thomas negatiuè. Quia iste homo seu Christus designat suppositum proprie, quod est æternum: nam subiecta accipiuntur materialiter. Atqui *Verbum incipit*, includit antea non extitisse.

Scotus affirmat.

Notandum est, Scotum in 3. d. 11. q. 3. docere hanc propositionem *Christus incipit esse*, *Christus est factus*, esse veram in proprietate sermonis. Primò, Quia fieri hominem, est fieri simpliciter; nam est

fieri substantialiter. Deinde, Quia illud attributũ cadit super formale subiecti, quod est humanitas. Tertio, Quia hæc, *Christus est*, non fuit vera ab æterno: ergo Christus incipit esse.

Sed contraria est communior Theologorũ in 3. d. 11. vel 12. & D. Thomæ hic. Quaruis Durandus velit illam esse distinguendam. Ratio est, Quia illud dicitur simpliciter fieri, vel incipere esse, quod ita accipit esse, vt ante hoc momentum absolutè non fuerit; nã, fieri vel incipere, includunt hanc negationẽ, hoc antea absolutè non erat. Itaque cum Christus antea absolutè fuerit; est enim *Christus æternus*, ad Hebr. vlt. & Apoc. 1. non rectè dicitur quod incipiat esse, vel quod fiat, aut sit factus. Confirmatur, Quia alioquin hæc esset vera: *Filius Dei est factus*, vel *incepit esse*: quidquid enim dicitur de Christo, vel hoc homine, dicitur etiam de Filio Dei.

Resoluitur.

Ad Primum Argumentũ Scoti, Respondetur, Diluatur. Etsi esse hominem, sit esse simpliciter, si per se cõsideretur; tamẽ respectu Christi, est esse tantum secundum quid: nam ipse antea simpliciter erat. Ad Secundum; Potius in talibus propositionibus subiectum supponit pro materiali, ita vt formale prædicati cadat in materiale subiecti: vt patet in hac; *Christus est æternus*. Possent tamen illa locutio admitti si Christus formaliter accipitur: verum hæc acceptio est impropria. Ad Tertium, Hęc est vera: *Christus fuit ab æterno*, non tamen idèò verum ab æterno debet esse, *Christus est*. Sicut patet in simili: *Quidam homo fuit ab æterno*, non tamen idèò verum est primo die creationis mundi, *quidam homo est*. Satis enim est, vt hoc suppositum quod est Christus, sit ab æterno. Ratio est, Quia cum dico, *Christus est*; Christus accipitur formaliter pro cõposito: nam verbum, *est*, secundum adiacens, facit subiectũ accipi formaliter. Cum autem additur, *ab æterno*, accipitur materialiter pro supposito: quasi dicatur; is qui est Christus, est ab æterno.

Diluatur argumentum Scoti.

ARTICVLVS X.

*Vtrum hac sit vera: Christus vt homo, est Creatura?*

18 **R**espondetur, Proprie esse veram. Nam reduplicatio proprie reduplicat formam potius, quàm suppositum. Vnde sensus est: Christus secundum naturã humanam est creatura; nõ autem, Christus vt suppositum naturæ humanæ, est creatura: hoc enim falsum est. Reduplicatio enim designat & specificat id, secundum quod, & in quo attributum conuenit subiecto.

18 Reduplicatio quid reduplicet.

ARTICVLVS XI.

*Vtrum hac sit vera: Christus vt homo est Deus?*

19 **R**espondet D. Thomas cù distinctione. Aduerte tamen, hanc propositionem: *Christus secundum quod homo, est Deus*; esse proprie falsam. Nam homo, in reduplicacione proprie accipitur pro natura, non pro supposito; & significat Christum ratione naturæ humanæ esse Deum: quod omnino falsum est.

19

Pro huiusmodi locutionibus seu propositionibus Notanda est hæc Regula: *Ea quæ sunt propria Dei, non possunt tribui homini, vel Christo cum reduplica-*

Regula.